2.

ODE DICTA AGATHYRSVS, DE SOLATIO MACILENTORVM.

Caro & pinguedo fluxa res eſt. MACIES & OSSA ſunt ſolidum bonum.

Ex fragmentis Macrobij.

LOVANII,
Formis ANDREAE BOUVETI

Anno M. DC. XLV.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDO DOMINO
D. GERARDO
VAN MEERLO
MONASTERII
DE BAVDELOO
ORDINIS CISTERTIENSIS
RELIGIOSO PRESBITERO.

REVERENDE DOMINE

Recte, quiſquis Poëtarum ille fuit, pronuntiavit qui dixit

Omne tulit punctum qui miſcuit utile dulci.

Gravioribus ſtudiis impliciti animi laxamento nonnunquam indigent, quibus dum omne oblectamentũ quod ad animi cultum, ac virtutem non pertinet vileſcit; ac quaſi puerorum crepundia reiiciunt: Muſa tamen

Digitized by Google

amica ac familiaris eſſe ſolet: quod quam ſit compertum vnum te deſidero; qui non modo poſt graviora ſtudia Muſarũ es amator, ſed & cultor. Id cùm perſpectum haberem, diutius inquirere nolui, cui opuſculũ hoc ex fragmẽtis Macrobij deſumptũ, continens cum lepore elegãtiam elegantiæ coniunctam habens doctrinam dedicarem, niſi R. D. T. *Opus quidem in ſe parvum; at ſi affectum offerentis ſpectes, magnum merito eſtimabitur. Suſcipe igitur, fove ac protege* R. D. *hoc muniſculum quod meis typis in lucem eduxi, & noſtræ erga Te obſervantiæ, pignus appendo. Lovanij Kal. Maij, 1645.*

REVER. DOM. TVÆ,

Humilus cultor,

ANDREAS BOVVET.

Lector Benevole, ſalve.

PLurium deſideriis, & honeſtæ oblectationi tuæ gratificaturi, venuſtum hoc nobilis Poetæ Odarium recudimus. Ita præfabatur Typographus, id, quod vides, nuper iterum excudens. Addo ego: Benè, & Auctoris docti, ingenioſi, lepidi, pii merito ita factum. Quod ſi tenue tibi carmen videtur; tenuis ingenii videri non debet, qui Mactei genium tam apto expreſſerit & adæquarit ſtylo: ſi verò craſſo cenſebis ingenio Auctorem, quòd rem tibi non laudatam nec amatam, laudet; ames, & laudes iterùm ingenium neceſſe eſt, quod tui tam ſimile eſt. Cave enim vero ne in quo alium male accuſas, in eo teipſum benè condemnes, & pinguioris Minervæ alius habearis. Si bene curatâ cute pingui tibi melius eſſe cenſeas, quàm Poeta ſentit; tibi plau-

plaude domi: macris ſuam tamen felicem tenuitatem, & tenuem felicitatem vide ne invideas, nam

Invidia alterius rebus macreſcit
opimis.

Sed nemo invidet niſi malus: nemo pinguis malus; nemo igitur pinguis invidet. Et verò ſi ſibi benignus, & ſibi bonus; cur alteri ſit malus, adeoq́; ſibi? Hinc ſanè, quiſquis es, ut ſanus & ſalvus ſis, & bonus benè, multumq́; valeas, invidia omni die vale. Vale.

Digitized by Google

Cantemus , MACIES mea, atq; amemus:
Ludamus , mea Muſa, & accinamus.

LVdamus , inquam ; ſed gracili avenâ , de Gracilibus , & ipſi Graciles, ut olim MACER Poëta. Ludamus abſque ſtrepitu plurium fabularum ; fluctu cadentium ſententiarum. Feriamus , ſi vis , barbiton perfunctoriâ manu. Non amo ſeveram ubique frontem Et Macri olim laxant rugas ſuas. Quin novam Oden ſolvimus filis ? Sed non ſæcularem , ſed non, *Fuére Troës*. Cantemus Oſſa: Frugalem potius Oden : quæ Parnaſſum oraculis; ſcilicet, grandium Poëtarum reſonantem, non ut canora vox ſed imago dumtaxat vocis, Echûs inſtar, celerrime tranſvolet, SOLATIVM MACILENTORVM. *Agathyrſi* nomine inſignitam velim, ex merito. Nam ut Gordii in Regem, non niſi obeſum aliquem & abdomine prægravatũ eligebant: ita flavi mei Agathyrſi, nullis præterquam probè macilentis ſceptra tradidiſſe memorantur. Nondum infringimus fides ?

Cantemus, MACIES mea , atq; amemus:
Ludamus mea Muſa, & accinamus.

I.

CANTAMVS OSSA : deditum
Ventri Genus , recede.
MENS ALTA, Tu , quæ Corporis
Tranſgreſſa vilitatem,
Præ ceteris es *Carcerem*
Sortita mitiorem ;
Agnoſce Summi Iudicis
Sententiam: *Pepercit.*

II.

Tot impedita vinculis,
Quot membra ſunt & artus:
Cur nauticis rudentibus
Vis inſuper ligari ?
Corpus , quod Hoſpes incolis,
Teſtâ lutoque factum;
Iam *Furis* eſt ergaſtulum ;
Quid quæris & *Latronis*.

III.

Is, qui prior Tirynthio
Cælum tuliſſe fertur;
Gaudebat Athlas ſarcinâ
Premente liberatus.
Aſinius pol ! POLLIO,
Clitella dum levatur ;
Cur *rudit* , & majoribus
Saccis petit gravari!

IV. Ne

Digitized by Google

IV.

Ne fide Lunæ, quiſquis es,
Cùm plena Fratre turget.
Habet ſuos, nil ambige,
Nævos, ſuoſque maneis.
Expende curas pinguium,
Et *Sonticos* labores:
Diſces profundis Ventribus
Non invidere pœnam.

V.

Dic: cujus animus eſt adeps,
Quam vivit ille vitam?
Qui totus eſt Tomaculum,
Quam vivit ille vitam?
Qui non habet Spiraculum,
Quam vivit ille vitam?
Nolim vel æger vivere,
Quam vivit ille vitam?

VI.

Audis? ut in ſuſpiria
Tardata flabra pulſet?
Anhelat inſtar *bubali*,
Reciprocantis auram.
Credas equorum pulverem
Olympicum bibiſſe:
Aut concitatis eſſedis
Primum ſubiſſe metam.

VII.

Sed nempe gratis fálleris.
 Vix movit è cubili
Primis hiulcos meſſibus
 Torrente Sole campos:
Si *tertium* veſtigium
 Aſturco Panſa *torſit*;
Iam totus eſt *axungia*,
 Et colliqueſcit æſtu.

VIII.

Fit ergò *longa* fabula,
 Mimiq́ue ſanna vulgi,
Quacumque *molem* poplitum
 Attollit *in volumen*:
Concuſſa, more Stentoris,
 Clamare Terra poſſit:
Tanto Parentem turbine
 Antæus iſte calcat.

IX.

VVLTVS ROTVNDVS AC TV-(MENS.
 AN VVLTVS EST, AN VLCVS?
Qui follibus prægnantior,
 Tubam ſonorus inflat.
Vt neſcias; an Æoli
 Sit natus in caverna,
Dum plenus Auſtris, unica
 Videtur eſſe *ſtruma*.

X. Ta-

X.

Talem nec ulla tempora
Solantur, aut Planetæ;
Hiems, & æſtas diſplicent,
Et Majus, & November.
Quas imprecatur Piſcibus,
Aquarioque Diras!
Latrante torvùm Sirio,
Fuſtem Cani minatur.

XI.

ARENA creſcit interim,
Et obſtruit meatus.
Sævit tyrannis aſpera
Tortoris *inquilini.*
Coactus intra viſcera
Parvum pati *lapillum,*
Vægrande Saxum Siſyphi
Tergo rotare malit.

XII.

Accedit horror funebris,
Lethæa vis catarrhi,
Veſpillo Dormientium
LETHARGVS obſtinatus:
Stillæ tremendæ frigidos
Stupore ſiderantes,
Et naufragos *in littore*
Qui mergit albus Hydrops.

 XIII. Omit-

XIII.

Omitto *ſerram* Bacchicam,
Et murices acutos:
Quibus repelli neſcia
Pedes fodit PODAGRA.
O! triſtis uxor Conjugis,
O *Socra*-Xant-*tis*-ippe.
Te diſtraho; ſed diſtrahis
Et tu tuum Maritum.

XIV.

At non & illis impluit
Hæc Ilias malorum,
Queîs aſque limo ſordido
Glebaque verminosà,
Intaminata firmiùs
Compegit oſſa Titan;
Et vertebras Saturnio
Formavit ex metallo.

XV.

SENSVS acutis excubant
Ad tale corpus armis.
Vigent manus Prometheos,
Sanctum ferentis *ignem*.
Sanguis ſerenus ſcinditur
A fœditate tabi;
Micantque venæ caſtiùs
Sinceriore metro.

XVI.

Hinc vita verè vivida
  Iubarque temperatum;
Et bullientis lucidum
  Sacrarium caloris.
Raró caput circum-tonant
  Nimbi tumultuoſi:
Qui membra ſternant ſaucia
  Vaporibus *caducis*.

XVII.

Ah! novimus (dolor ſine,
  Et deme fræna linguæ)
VIRVM DISERTVM novimus:
  (Nunc dormit in ſepulchro)
De cujus *alto vertice*
  Parnaſſioque colle,
HASTATA forſan altera
  Potuit ſalire PALLAS.

XVIII.

Hic Corporis, non INGENI,
  Quod pinguioris eſſet;
Præſagus ipſe fulminis,
  Fatale quod pavebat:
Sui *Cérebri* perditam
  Confeſſus *Officinam*,
HEV! ſæpe dixit, SENTIO,
  QVOS SENTIO CYCLOPAS!

XIX.

Vates fuit, vel Delphicis
Oraculis verendus.
Quâ nocte nullus Augurum
Præſenſit ominatus;
Tactus apoplexi (& HOC HABET)
Vitâ repentè ceſſit,
Quam plurimi vel Attico
Redemerant talento.

XX.

SED PARCA NESCIT NVNDINAS;
NEC FILA VENDIT VLLA:
Vir dignus Annis *aureis*,
E *ferreis* abivit.
Nos lacrymis rorantribus
Dum ſpargimus Cupreſſum,
Clamamus: *ô Cyclops, Cyclops*!
QVEM; dire, ſuſtuliſti!

XXI.

QVISQVIS REDVNDAT PHLEG- (MATE
HIC DIVES EST MALORVM.
Aſſem paternum dividat,
Herede nominato,
Septemque Teſtes convocet,
Addatque Codicillos,
Et liberis & Conjugi
Suprema verba dicat.

XXII. Præ-

Digitized by Google

XXII.

Prædico : Vota contrahat
Corvina. Vix ſeneſcet.
Emat pherétrum, lintea,
Leſſumque mortualem:
Conducat atras præficas;
Et præparet *Trientem*
Dandum Charonti Navitæ.
Brevî, brevî migrabit.

XXIII.

Felicioris SICCIOR
Viam capeſſit ævi;
Quandoque viſus ſæcula
Cornicis æmulari.
Non fata, non duriſſimo
Accuſat ore Divos:
Non indiget Medentibus,
Suî Galenus ipſe.

XXIV.

Securus à ſecuribus
Eſt bos laborioſus,
Cui nulla ſtant palearia,
Prono ferenda collo.
At qui toroſus integrum
Diſtenditur per arvum,
Immugiens velociùs
Raptatur *ad macellum.*

XXV. I

Digitized by Google

XXV.

I nunc, ſagina putidum
 Et turpe carcinoma,
Morti dicanda Victima,
 Vt anſer & coturnix;
Et in *Foro Porcario*
 Qui glandibus replentur,
Sus alba, quam Phryx viderat,
 Præceſſit: hi ſequentur.

XXVI.

Cùm fæculenti ſanguinis
 Trimalcio recumbit,
Tantum Catharma palpitat,
 Sentina quanta Navis.
Fœtore vivus enecat
 Adſtantium pudorem;
Magnamque ſtragem narium
 Loco movendus edit.

XXVII.

Coloſſe, farte ſumine,
 Quid vaſta membra jactas?
Iactat Camelus jugerum
 Dorſi, jugumque gibbi:
Et metiendam funibus
 Turrita Barra molem.
Has machinas irrideat
 Prætervolans *Alauda*.

XXVIII. Sit

Digitized by Google

XXVIII.

Sit ſingularis vilium
  Laus iſta belluarum,
Vt larido non arido
  Verpos fugent Apellas.
Homo Choragus ſiderum,
  Cæli futurus Hoſpes;
Is *Porcium* non æſtimat,
  Sed æſtimat CATONEM.

XXIX.

Sin fortis Hector quæritur,
  Robur Milonianum;
Ad Veſtra ſpectant agmina,
  Qui prævalent lacertis.
Thebanus ille Marſpiter
  Scutumque militare,
Omnes obeſos expulit
  Caſtris Epaminondas.

XXX.

Viros Gradivus expetit,
  Viros amat Gradivus.
Belliquе Nervus, *Nervus* eſt:
  Non pulpa, non omaſum.
MACER STAT INTER CLASSICA,
  VELVT MARINA RVPES:
Status *Globoſi* Corporis
  Manu movetur unâ.

XXXI. Con-

XXXIV.

Tunc BRVTVS ad præſepia,
SERRANVS in novali,
DENTATVS inter ilices
Rem-publicam regebat.
Faſces jacebant proximis
In vepribus *ſaligni*;
Conſulque cùm lictoribus
Prandebat, & metebat.

XXXV.

CAIVM ſtupes IVLIVM,
Pharſalicum Monarcham,
Hic ille Fortunæ ſuæ
Tyrannus invidendus,
Et quem timebant cæteri,
Macrum tamen timebat.
Sit fas tacere nomina:
Macros tamen timebat.

XXXVI.

Hûic comparetur Flavius,
Muſcis tremendus hoſtis?
Ructans vomenſque grandia
Mulliſque miſta Cete?
Aut CARACALLA, latior
Decempedâ Mimantis?
Aut Caldius Biberius
Mero Mod-Imperator?

XXXVII. Amil-

XXXVII.

Amilcaris Fax ANNIBAL
Toto flagrans Sagunto:
Qui ventilavit Italos,
Ceu Milvius columbas;
Summaſque Tarpeji Iovis
Sub tegulas coëgit:
Carnis ſtetit ſex unciis,
Appenſus in bilance.

XXXVIII.

Tranſmitto cana ſæcula,
Ad noſtra tranſiturus.
Rex *Liliorum* CAROLVS,
Sago togaque felix:
Ab cujus enſe prælium,
Et pax pependit ore;
Minora geſſit nomine,
Cùm *Craßus* eſſe cœpit.

XXXIX.

Craſſi minacis neſciunt
Vitare Mortis ictum.
Craſſos pudendi dejicit
Aqualici gravedo:
Craſſos euntes impedit
Urſo repleta funda:
Craſſis nocet torpentibus
Ingens *ſaburra* ventris.

XL. Mi-

Digitized by Google

XL.

Mirare MAGNVM TILLIVM,
Victoriæ Maritum;
Cæſo redux Turlacio,
Merſis cruore Cimbris;
Poſt buſta Magdenburgica,
Germaniæ triumphos,
TOTVS CADEBAT OSSEVS
IN GLORIÆ SEPVLCRVM.

XLI.

Macti, quibus profundius
Os fugit in receſſum;
Maxilla pendet ſcrupea,
Nareſque *porriguntur*.
SIC itur ad faſtigium
Martiſque, Palladiſque.
Vtrique ſervit diruta,
Exeſa, ſcabra forma.

XLII.

Phœbus ſubit præcordia,
Quæ fæce puriora,
Et apta ſacro concuti
Apollinis furore.
Teſtatur iſtud Mantua
Tubâ Maronianâ:
Idemque cantat Vmbria
Chely Propertianâ.

Digitized by Google

XLIII.

QVI CRESCIT VT CVCVRBITA,
DESPERET ESSE LAVRVS;
Si non Horatius (*Nota*)
Rigaverit Falerno:
Quin ipſa, quod mirabile,
Cùm *Pinguis* eſt *Minerva*;
Abſurda, barda, degener,
Nec amplius Minerva eſt.

XLIV.

Vis intueri Porticus
Famæ vetuſtioris?
Stoam, Lycæa, Pulpita,
Et Ambulationes,
Antiquitatis Lineas,
Et Circulos Sophorum,
Cavis refert & exprimit
Inſculpta *Ruga* buccis.

XLV.

Hoc ore viſus eſt SOLON,
THALESQVE cum CLEANTHE:
Et quem *cicuta* ſuſtulit,
Ceu Maſſicum bibentem:
Et mobili qui Dolio
Indormiens, ut Aulæ,
Contemſit omnes Regias,
Tuumque, *Tella*, Regem.

XLVI. Hoc

XLVI.

Hoc ore MARCVS TVLLIVS
Proceſſit in Senatum:
Vt Proditori diceret,
Quouſque, Cattilina.
Aut in truces Antonios,
Et Fulvias feroces,
Philippicas facundiâ
Tonante fulminaret.

XLVII.

Sed nulla MACROS gratia
Venuſta comit, eſto.
Quam puſiones ambiunt,
Spernit virilis horror.
Quid ingemiſcis pallido
Genas colore tingi?
PALLOR Thaliæ, PALLOR eſt
Color Scientiarum.

XLVIII.

MACER fuit, qui plurima
Locutus eſt *tacendo.*
Qui pro Figura REPPERI
Centum boves dicavit.
Cujus LVCERNA fictilis
(Audite curioſi)
Servi ſupellex veniit
Lucentibus Smaragdis.

LII.

Ales Cupido Cyprius,
Effœminatus ales,
Ledæque notus Doricæ,
Plumas gerens Oloris;
Vix ponit in *maceria*
Nidi *ſalacis* ova:
Sed ponit in palatiis,
Et pinguium tabernâ.

LIII.

Quòd conflagrârit Ilion
Fumantibus ruinis:
Quòd Xanthus exundaverit
Rubentibus procellis:
Debetur uni Remigi,
Quem pænè nominâſſem:
Sed ille Remex dicitur
Pinguis fuiſſe Paſtor.

LIV.

Vt quiſque ſemper optimus
Mentiſque cultioris,
Ab Orbe vixit condito,
Vrbiſque Conditore;
Sic Oſſeus, ſic Corneus
Magis, Macerque vixit:
Minuſque Bombomachides
Gracchus, minuſque Bacchus.

LV. Hoc

LVIII.

Prodite mandris ſquallidi
PACHOMII recluſis,
ANTONII, PAPHNVTII,
ONVPHRII, GEROLDI,
Amica teſquis nomina,
Sed notiora cælo,
Qui præter Oſſa corporum
Nil extuliſtis antris.

LVIX.

Veſtite *palmatâ* togâ,
Aſceta, PAVLLE, prodi:
Cûi *Corvus*, etſi peſſimo
Parente *ſure* natus,
Fidelis uſque ſerviit,
Suumque Κᾶιρε dixit:
Non auſus umquam miſſilem
Procraſtinare panem.

LX.

Facunde, prodi, Cappadox
Ex intimo receſſu,
Sortite nomen Regium,
Qui *totus* es Corona;
Fulmen Valentis impii,
Terrorque Iuliani:
Virtute ſuppar montibus,
Tantuſque, quantus *Oſſa*.

LXI.

Prodi ſpecu, Doctiſſime
E gente Dalmatarum:
Quem terra Bethlemitica,
Et gens Togata novit:
Rupeſque nâti Numinis
Vagitibus canora,
Inſtar Leonis audiit
Per antra rugientem.

LXII.

Prodite, quotquot ANGELOS
Eburnei coloris,
Nutriverat radicibus
Et hordeo polentæ;
Cælo ſereno clarior,
Ac pænè par Olympo,
Princeps tuarum Vallium,
BERNARDE, *Clara Vallis.*

LXIII.

His, NICOLAE, júngere,
O Lumen Helvetarum!
Quem laudo *totis Oſsibus*:
Frater ſaluto fratrem.
Quà fonte ducit gurgitem,
Primaque mugit undâ;
Quando cibis te pollui
Rhenus notavit ullis?

LXIV. Nec

Digitized by Google

LXIV.

Nec te tacebo, BORGIA
FRANCISCE, ſidus Orbis;
Qui *funditùs* jejuniis
Exaruiſſe viſus:
Et quam nitentem lautiis
Ex Gandiâ ferebas,
Thoracis inſtar, flaccidam
Conduplicâſſe pellem.

LXV.

Quid LIPSIVM, quid LESSIVM,
CORNELIVMQVE Belgas,
LAINIOS, SOARIOS,
DREXELIOSQVE dicam?
Quid mille narrem cæteros,
Quos noſtra vidit Ætas?
Argute, ſtellas ſuſpice,
Et computare ceſſa.

LXVI.

Tot ſunt, quot aſtra noctibus
Sudis citata currunt,
Fretoque pergunt tingere
Tot aureos capillos.
Hos erudita Thuſcia,
Illos Britanna Nympha,
Iberiæque nobilis
Ferrugo decolorat.

LXVII.

Salve beata, & Perſicâ,
MACIES, emenda gazâ,
Salve potens inanitas
Rei periculoſæ.
Salve ſevera, floridæ
Patrona Caſtitatis.
Salve ſatis non cognita
Tutela Sanitatis.

XLVIII.

Te rara vis equulei,
Arterias ſecantis;
Te rarus urit Calculus,
Nigérve, *candidúſve.*
Te nulla PLEIAS fletibus
Suffocat aut ſoporat:
Te nullus imber noxius,
Te SCYLLA nulla mergit.

LXIX.

Tibi Dinaſtæ ſupplicant,
Qui *tympano* laborant;
Et erubeſcunt improbi
Ventres popæque dici.
Te pharmacis HIPPOCRATES
Exæquat, & MACHAON:
Te donat ÆSCVLAPIVS,
Et anteponit herbis.

LXX. In-

Digitized by Google

LXX.

Inſtante Leto, ſcilicet,
Mater timebit arcum,
Videns ſibi ſimillimum,
Et OS ad *os* venire?
Alboſque dentes plectere
Non imparem jacentis:
Et ante ſpondam ſiſtere,
Et expedire telum.

LXXI.

MORS fortè dicet: Adſumus,
Amice, qui valemus?
Cupis reſolvi? Ianua
Sum deſtinata vitæ,
Neceſſitatem dilige.
Cum talibus jocamur.
In pinguium cervicibus
Sum ſerius Thyeſtes.

LXXII.

Quid expaveſcis ſpiculum
Amore delibutum?
ARVNDINES *arundine*
Defigo, non ſariſſâ.
Vaſtis bipennem quercubus,
Feriſque ſumtuoſis;
Apris, apris *venabulum*
Et lanceam reſervo.

Digitized by Google

LXXIII.

Hoc agmen, hæc embammata,
Has Amphoras & Orcas,
Has Spongias immobiles
Sevoque diffluentes,
Complector uncis arctiùs,
Et *exprimò* liquorem:
Æſtate quali Cochlea
Compreſſa pingit hortum.

LXXIV.

Tu vade, noſtræ mitiùs
Senſure vim Sagittæ,
Tanget: *nec ultrà*. parvula
Fibras acus recludet.
Natura tale dividit
Et blanda Parca vulnus.
Quam tu ſubibis Aleam,
Dices fuiſſe *ludum*.

LXXV.

Et ſic quidem componitur
A morte vix notandâ.
Adhuc videtur vivere,
Sed ſpiritum tenere;
Suoque *Lectiſternio*
Sopitus incubare.
Hoc unicum diſcrimen eſt,
Altum ſilet vocatus.

LXXVI.Eſſe

LXXVI.

Effer viciſſim tauricum
Immane MAXIMINI:
Effer cadaver tauricum,
Effer, rogamus, effer.
Quod Sole fœtet unico
Super toro relictum.
Qui vel Sabæus olfacit,
Fit *ſimus* â mephiti.

LXXVII.

Decemviri fortiſſimi
Seſtertio coemti;
Quandoque centum, cùm vices
Mutare pondus urget,
Vendunt *labores Herculis*
Et terga proſtituta.
Succedit alter alteri,
Euntque *Vultuoſi*.

LXXVIII.

Effertur ingens denique
Magno tremore FVNVS.
Terram movere crederes,
Et inſulas migrare.
Onuſta ſuccollantium
Cohors periclitatur;
Feſſoſque Lecticarios
Libitina triſtè ridet.

Digitized by Google

LXXIX.

Fragrant ſub axillis capri
Portantium Gigantem:
Et quas Catullus oderat,
Olidæ moventur *ala*.
Sudoris imber cauſticus
Per câlda membra ſtagnat.
Pollinctor hâc præ nauteâ
Nares fremens *ſupinat*.

LXXX.

Majore quantò gloriâ,
Quantò minore ſumtu,
MACRO parentat mortuo
EX OSSE FACTVS HERES!
Solis vel à Duûmviris
Eliminantur oſſa.
HEIC, inquit Vnus, SINT SITA,
ET SVB LEVI QVIESCANT.

LXXXI.

At non in ævum perdita,
Humata, putrefacta,
Defoſſa ſub caligine
Et anguibus latebunt.
At non. Erit volventibus
DIES SVPREMA fatis;
Mundique ſummo penduli
Librata ſtabit axe.

LXXXII.

Digitized by Google

LXXXII.

ANASTASIS ſurgentium
Regina mortuorum.
Formoſa CHRISTI Filia,
Electa Sponſa Divûm,
Clamore mito buccinæ
Sparſas; movebit *Vrnas*;
Et perſonans ad Iudicem
Clauſas citabit *Vmbras*.

LXXXIII.

Impulſa fœtam Manibus
Tellus reſolvet alvum,
Et ſuſcitata funera
Os erigent in altum.
I FLACCE, porce de grege
Haræ voluptuoſæ,
Oſtende ſis cuticulam,
Lauda tuam *ferinam*.

LXXXIV.

Sceleſta tunc abdomina,
Et *venter* alliatus,
Honore cultus Numinis,
Inunctus atque lotus,
Et *carnis Olla Ægyptia*,
Imum ruent in Orcum:
Calloſa mittet *aridas*
Virtus ad aſtra CALVAS.

Digitized by Google

LXXXV.

Tunc OSSA primùm celſiùs
Proſtrata ſe levabunt.
Tunc OSSA dura, molliùs
In nubibus cubabunt.
Tunc OSSA ſicca, gaudia
Torrentis irrigabunt.
TVNC OSSA, FLANTE SPIRITV,
VT HERBA GERMINABVNT. (a)

(a) *Pſalm.* 50. *verſ.* 10. & *Iſaiæ* 66. *verſ.* 14.

Digitized by Google

IOCVS SATVRNALITIVS
AD
HIER. NAVTAM
Cum illi Agathyrſum, ſive Oden inſcriptam,
SOLATIVM MACILENTORVM,
Ipſis Bacchanalibus mitteret.

ODE.

AT tu ſupino craſſus in otio
Curas nitentem, NAVTA, cuticulam:
Gravare non ſegnis vehendum
Ventris aqualiculũ ſaburra.
Conviviorum perpetuus fluit
Euripus, & te portat in amphora
Velut phaſelo; ſtrata primùm
Litrora depoſitis legentem
Noctu cululllis. Manè frequentius
Rurſus ciebit remigium dies,
Spumantis in vini procellas,
Et pelagus geniale Bacchi.

Digitized by Google

Non vultus idem, non eadem mihi
Amice, mens eſt. Vt paleáribus
Diſtentus, armenti maritos
Helvetici bovis inſtar æquem!
Nativa longi linea corporis
Et umbra nobis; qualis imaginem
Primâ colorandam figurâ
Proiicitur rudis in tabellam,
Suffecit olim: nunc quoque ſufficit.
Tantum opto pulpæ: quantum oculus poteſt
Obtuſus, ad Lunæ lucernam,
Auxilio vitreo tueri.
Pingueis tabernas par animus ſubit,
Et ipſe pinguis. Mens bona ſepibus
Vel oſſeis contenta vivit,
Et modicos ſtatuit penateis
Frugalis hoſpes. quanto habitet loco,
Nil intereſt. mox ſe ſpeculabitur
Immenſam, & æternos in orbeis
Non humileis feret alta curas.
Sed tu ſaginâ perge Sabellicum
Æquare porcum: perge capaciùs
Dolere, Trojanumque magnis
Sumtibus ædificare corpus:
Me me hirta pellis, me facies juvet
Paphnutianis horrida vallibus,
Multùmque ſidens: & vel ipſis,
Ni fugiant, metuenda Faunis.

AD

Digitized by Google

AD
SIM. LAVENDVLAM
Se in excolenda Macie, mirum in modum proficere.

ODE.

TAntæ molis erat, denique corporis
Tota deſtitui mole, LAVENDVLA,
Ipſos exuor artus:
Ipſis exuor oſſibus.
O gratare mihi. jam penitus macer
Depono reliqui rudera carceris.
Paullùm reſtat arenæ: &
Totus ſpiritus emico.
Nec porrò lanios horreo, nec forum,
In quo vænit adeps, vito Boarium.
Securus licitantum
Nullis à Braſilis emar.
Nulla parte mei bellua, flammeis
Mentem ſideribus protinus inferam,
Ceu Maja ſatus, inter
Vmbras & Superos eo.

Digitized by Google

Iam jam liber iô (terra putris vale)
Defæcatus iô (congeries vale
Inſincera: valete
Ventres) tollar in æthera.

EIVSDEM
AVCTORIS
ODE
AD
IO. BAPTISTAM
MVFFELINVM.

In celeberrimam Congregationem Macilentorum admiſſum.

Servanda Tyroni.

ERgò dies iſta eſt, in qua videoque proboque
Te mea caſtra ſequi?
Ergò tibi MACIES placet, admirabile donum,
Lurida viſa priùs?
O felix MVFELINE, genus, tua ſi bona nôſti,
Quæque AGATHYRSVS habet!

Fer

Per modò conſtanteis animos, neque cede labori :
Et ſuperabis onus.
Ardua prima via eſt, (nil diſſimulamus) & omne
Sentibus horret iter.
Cruda rudimenta, ac plureis terrentia CRASSOS
Sunt ſubeunda tibi.
In vallē donec facies ſubſidat, & ulcus
Detumuiſſe ſcias:
Hoc opus. intègro vix tantum evicerit anno
Imperioſa fames.
Quo certè toto nil apponetur edendū
Flebile præter olus:
Intritàſque alicæ glandes, cancrìque rubenteis
Coctilis exuvias.
Certiùs ut vacuos penetrent jejunia vultus,
Permaneàtpue color:
Interdum rodes putrefactæ ſegmina quercûs,
Pumice miſta cavo.
Lævigat iſte cibus: crebròque iteratus omaſum
Extenuare valet:

Et

Digitized by Google

Et tandem abdomen plenâ ab radice revellit,
Diminuítque gulam.
Perfer & obdura. ſequitur Victória pugnam:
Aſpera mollit amor.
Cùm venti poſuêre, genæque immané dehiſcent,
Parta tropæa feres.
Et levis, & velox, & opaci pondere ventris
Liber, ut ales, eris.
Ceſſabunt gemitus: iterum cœnare licebit.
Aggredieris aprum
Tutior Alcide. natura ſubacta negotii
Nil, MVFELINE, facit.
Intereà miſeros convivas riſeris hoſpes,
Quos ſua maſſa premit.
Felici tamen ut vitæ nil deſit, HONESTI
Stoicus eſto tenax.
Inter aqualiculos culpam vitare memento.
Cætera trade Notis
In mare Tyrrenum portanda: & vive beatus,
Perpetuumque tuus.

Digitized by Google

Quod prohibere nequis medio torrentis in æſtu,
Ne prohibere para.
Spem cupidam voti; nec citrà mitte, nec ultrà;
Vtraque meta nocet.
Craſtina quid latura dies, ſine lætiùs ullo
Omine neſcieris.
Hoc curſu placidum MACIES tua verget in ævum,
Carmine digna cani.
Qualis noſtra placet, ſolidis pellucida coſtis,
Iam ſibi fida ſatis.
Hanc neque Weſtphalici terrent immania porci
Tergora, ſumen, adeps:
Nec bos Helveticus ſurgens in cornua: virtus
Cuncta domare poteſt.
Impleat accenſum Phalaris pinguedine taurum:
Nulla tyrannis obeſt.
Secta vel *uſta* furens ponat: tormenta ſit inter
Fortior iſta MACER.

Digitized by Google

AD
SIMEONEM
CONDYLVM
Factionis Stoicæ, quam manſuetiorem vocant, Candidatum,

CARMEN
SATVRNALITIVM:
In quo declarat Auctor non eſſe ab huius Sectæ inſtituto alienum,
RIDERE.

PErſonata venit CITHARISTRIA, CONDYLE: formâ
Et ore par Ægiptiæ.
Attamen una *novem* fidens ait eſſe *Sororum,*
Vtcumque fallunt tegmina:
Poſteriòrque tribus primis Parnaſſidas inter,
Prior THALIA cæteris.
Pande fores. volet illa ſuo lætantia cantu
Ornare LIBERALIA.

Ex-

Fæmineum neu crede melos, (quod, ſcimus, abhorres)
Tactâ ſonaturam Lyrâ.
Strenua Virgo venit: Thymelen mentitur & Odam.
Virile carmen audies;
Sed feriens parcente manu, non intima ſcalpit
Simulata MVSA Mœnadem.
Te quin imò volens hilarem, ſuadebit habenas
Laxare docto riſui.
Si vacat, & frontem ſoluis, pronamque canenti
Aurem reclinas, *incipit*.
SINT alij anteiqui moris, ſtolidéque ſeueri,
Torvum genus mortalium:
Ex oculis quorum fluat imbrifer *Heraclitus*,
Valleis inundans lacrymis.
At tibi DEMOCRITI moreis ſapientiùs opto,
In ſole ciuis publici.
CONDILE, ridendum eſt. non ducit ad æthera NVMEN
Omneis eodem tramite.
Si bonus ac lętus cęlo potes ire ſereno,
Cur mœſtus optes nubilum;

In cunis fleviſſe, ſat eſt; nutricis in ulnis,
Ad preſſa matris ubera.
Altera nunc hominis promenda *potentia* reſtat.
Ne contrahat rubiginem.
Illuſtreis hodiéque viros, vt in anſere flumen,
Natare riſu cernimus.
CONDYLE, prægnanteis cauſſas, caue, deeſſe queraris:
Vbique plures ſuppetunt.
Nõ jubeo Plebis vitâ ſtudiiſq; moveri
Non immoror vulgaribus.
Quòd terram fugiat mercator, & æquore ſicco
Perire nolit transfuga;
Inquirat madidum: phociſqne miſerrimus angueis
Poſtponat, vrnam littori.
Euclio quòd ſtrepitu contentus divitis ollæ,
Siſtat famem tinnitibus.
Quódque triente ferox per mille pericula miles
Venale corpus differat
Nimirum furor hic veniam laudémque meretur
Creſcitque, quamuis ſibiles.

Digitized by Google

Sed cur non alios æquè riſurus in arâ
Magni LIENIS immolas?
Non paſſim & proceres mutant æterna caducis,
Vili talentum numulo!
Aſtra leui bullæ cedunt: pulcerrima Luna
Turpis puellæ baſio.
Flenda ais, hæc potiùs; ſed & irridenda phreneſis,
Et multiplex inſania.
GONDYLE: quis pauper vult iam de plebe videri
Cui ſubula eſt acutior?
Tonſor poſt pulteis, hærentem dentibus atris
Turdum ſuperbit vellere:
Cùm ludicra fames plumam non viderit unquam.
De gente vix audiverit.
Aſpice GERMANVM: quot in uno corpore regna
Et nationes exhibet!
Aſpice TEVTONIDAS monſtris certare marinis,
Luxu natanteis veſtium.
Non quo nuda tegant, ſed quo nudentur amictu,
Nebuloſa velant pectora.

Vt latus intorquent! quantâ ſe in cyclade vertunt!
Quàm lata ſunt multitia;
Velle, ſuos credas gallinā cogere pullos
Viſo paventeis milvio.
Cetera tranſmittam. ſatis eſt, oſtendere fontem
Spleni ciendo idoneum.
Ex modico ſolers venator colligit ungui
Molis tremendæ belluam.
Ad ferrum propero. noſtrum cui militat ævum?
Quid Martis eſt in enſibus?
Non propter pacem: PRO BELLO BELLA GERVNTVR.
Victoriæ iam ſeruiunt.
En, quibus Ambitio ſcalis nitatur in altum.
Caſtris & aulis imperat.
Quis referat ſordes, queis & tunc ſplendet auarus,
Cùm vult videri prodigus?
Vt quidam in ſpeculo ſe demirantur & ardent,
Pauonis inſtar gemmei!
Laudari aſſuetus, pueriliter vt ſibi plaudit,
Totóque reſtágnat foro!

Solus

Digitized by Google

Solus Cryſippum legit, ſolitúmque Cleanthen
In oſſe tauri ſcribere.
O bene, quòd modicæ perſtrictus voce ſagittæ
Demittat aureis pendulas.
Ridicula eſt ætas omnis prope. rara cachinnum
Deuexa iure fugerit.
Nec melior decies cecidit cui forfice barba,
Quàm cui capillus ſepties.
Multa ſenes colaphis quoq; digna ſonantibus edunt,
Pœniſque ſæpe nauticis:
Quæ punire decet SAPIENTEM non niſi riſu.
Occalluerunt iurgijs.
Inter eos etiam, qui in verba Laconica iurant,
Dantur coronati *Mydæ*.
Illum ſuſpicio ſuccincta pauoribus, illum
Vanæ trahunt imagines:
Iſtum liuor edax coquit: hunc incluſa cupido,
Hunc ira pænè ſtrangulat.
Cur impalleſcit chartis ſtudioſus ad ignem
Noctu micantis Cynthiæ?

Digitized by Google

Dici vult *Aliquis*. ſcabies extrema relinqui
Præ peſtis horret linteo.
Delentur tituli: pedibus calcamus honores,
Obruimus alta nomina;
Non pariter faſtum. quotus audet ferre ſereno
Verboſa vultu ſpicula!
Mirum animal. miris variata Superbia guttis:
Fallax, hirudo Gloriæ
Inuenias, ſua quos & ſe contemnere credas,
Probrum ferenteis ægriùs;
Quàm vel pica ferat millum captiva caninum,
Tædas vel ardenteis leo.
CONDILE, quid cenſes? fundi ſi diues & auri
Cunctas opes eliminet:
Scribat & heredes Diuos, cæloque reponat;
Lucrumque iacturam putet.
Pòſt, huic propoſito, curas adjungat inaneis
Fulgore captus bracteæ.
Illectus crotalo, viſcatus imagine pictâ
Adhæreat crepundiis:

Per-

Digitized by Google

Perdere quæ metuat, ploretque erepta; caballum
Qualis puellus ligneum.
Non heic ſplene opus eſt ſaliente, & naribus uncis,
Et *helle* - ſtultorum - *boro*?
Atqui vera loquor. fiunt hæc, CONDYLE, fiunt.
Mendicat à ſe paupere
Nonnunquam, ingentem qui ſpontè reliquit opum vim.
Largitor olim ſportulæ,
Ipſe obit, & veteris Fortunæ dulcia furtim
Palàmque lambit cruſtula.
Plura referre piget. de grandi ſemen acervo,
Hæc pauca grana ſumpſimus.
Et dubitabis adhuc pulmoni indicere ſaltum,
Canentibus tot fiſtulis?
Aude aliquid SIMEON, totuſque incumbe cachinno,
Pleniſque ride follibus.
Sive domos urbiſque forum, ſeu compita luſtras;
Seu caſtra, ſive curiam.
Summum crede nefas, *gelaſinum* abſcondere *dentem*:

Maliſque cædi taureis.
Iamque vale : en, poſitâ perſonâ ap-
pareo MVSA,
Ne fluctuans diſſentias.

RHYTHMVS MVSICVS;

CERTAMEN PINGVIS, ET MACILENTI:

Factum ut canatur : canendum ne fiat.

1. Fvge, fuge mî Sodalis :
Nunquid vides quanta, qualis
Vmbra venit avernalis,
Longa velut linea.

2. Salve Corpus, vas rotundum,
Longum, latum, & profundum.
Comprehendis totum mundum
Arte Mathematicâ.

3. Vn-

Digitized by Google

3. Vnde venis? ab averno,
Vbi canis ore terno
Triceps rictu ſempiterno
Oſſa vorat arida?

4. Ecquò tendis carnis maſſa
Non emenda nuce caſsâ?
Tellus te ferendo laſſa
Pandit penetralia.

5. Bona mater me beavit,
Quo Natura te privavit:
Et noverca bene cavit
Ne pingueſcant ilia.

6. Pingue caput, pinguis ſenſus:
Venter ſicut arcus tenſus:
Tribus ulnis circùm menſus
Capit tam ſubtilia!

7. Parvum caput ut hirundo,
Longum corpus vt arundo
Vix adæquans vnum pondo,
Affert hæc tam gravia?

8. Crede mihi, non eſt iocus,
Cui tantus venter coquus,
Suprà nullus reſtat locus
Pulcrâ pro ſcientiâ.

9. Loco parvo cuſtodiri,
Timens tota conſopiri,
Quæ requirit corpus viri,
Neſcit ſapientia.

Digitized by Google

10. Docta mens non ambit locum,
Sed calorem quaſi cocum.
Mentem ferri ſicut focum
Decet ad ſublimia.
11. Vide, ne mox igne lento
Videamus macilento
Concidiſſe cum tormento
Fulcra carnis infima.
12. Parce, ne ſudore feſſum,
Adipatâ carne preſſum
Pingue gelu eat pellum,
Vt ad Solem ſtiria.
13. Hæc, quam rides, apta moles,
Sicut ſolent clari ſoles
Quamvis hoc audire doles)
Circumſpectat omnia.
14. Hæc, quâ ſudas, craſſa moles
(Quamvis hoc fateri noles,
Sed pro rebus veris coles)
Vana fingit ſomnia.
15. Vas hoc capax acquirendis,
Artibuſq; continendis;
Novis vacat colligendis,
Siqua noſti talia.
16. Vas hoc capax congerendâ
Maſſâ pingui, mox ponendâ;
Vix ſe fert, & vis ferenda
Nova quærat alia?
17. Corpus meum corpus geſtat,

Et

Digitized by Google

Et ſat multum loci reſtat
Quod anguſtâ tui præſtat
Præ cerebri cellulâ.
18. Porcus tuum corpus geſtat,
Nec præ illo quidquam præſtat.
Anagramma ſic honeſtat
Corpus verſâ litterâ.
19. Vale canis, vale ſodes;
Quantumcumq; me explodes,
Oſſa nunquam meâ rodes
Tecta ſub cûticulâ.

Accinebat I. A.

FINIS.
W

Digitized by Google

Digitized by Google